



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1863

CXVI. Papst Alexander bestätigt den Bischof Otto von Havelberg, im Jahre 1493.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56044)

CXVI. Paps Alexander bestätigt den Bischof Otto von Havelberg, im Jahre 1493.

Alexander, Episcopus, seruus seruorum Dei, Dilecto filio ottoni, Electo havelbergenfi, Salutem et apostolicam benedictionem. Diuina disponente clemencia, cuius inscrutabili prouidencia ordinacionem suscipiunt vniuersa, ad apostolice dignitatis apicem sublimati ad vniuersas orbis ecclesias aciem nostre consideracionis extendimus et pro causarum statu salubriter dirigendo apostolici fauoris auxilium adhibemus, sed de illis propensius nos cogitare conuenit, quas propriis carere pastoribus intuemur, ut eis iuxta cor nostrum preficiantur pastores idonei, qui commissos sibi populos per suam circumspectionem prouidam et prouidenciam circumspectam salubriter dirigant et informant Et bona ecclesiarum ipsarum non solum gubernent utiliter, sed etiam multimodis efferant incrementis. Sane dudum ecclesia havelbergenfis premonstratenfis ordinis, cui bone memorie Buffo, Episcopus havelbergenfis, dum uiuere, presidebat, per obitum eiusdem Buffonis Episcopi, qui extra Romanam Curiam debitum nature persoluit, pastoris regimine destituta, dilecti filii capitulum eiusdem ecclesie pro futuri inibi Episcopi electione uocatis omnibus, qui uoluerunt, potuerunt seu etiam debuerunt electioni huiusmodi commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, conuenientes in vnum te ipsius ecclesie prepositum in sacerdocio et etate legitima constitutum ac ex legitimo matrimonio procreatum in havelbergensem Episcopum concorditer elegerunt tuque electioni huiusmodi illius tibi presentato decreto consensisti et deinde huiusmodi electionis negocium proponi fecisti in consistorio, coram nobis petens, illam per nos apostolica auctoritate confirmari in hiis omnibus statutis a iure temporibus obseruatis. Nos itaque Electionem huiusmodi, quam prout fideli relacione accepimus, de persona tua, cui apud nos de litterarum sciencia, uite mundicia, honestate morum, spiritualium prouidencia et temporalium circumspectione aliisque multiplicium virtutum donis fide digna testimonia perhibentur, inuenimus canonicè celebratam, auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio approbamus et confirmamus teque eiusdem ecclesie havelbergenfi preficimus in Episcopum et pastorem curam et administracionem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, In illo, qui dat gracias et largitur premia confidentes, Quod dirigente domino actus tuos prefata ecclesia per tue circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Jugum igitur domini tuis impositum humeris prompta deuocione suscipiens curam et administracionem predictas sic exercere studeas sollicitè, fideliter et prudenter, quod ecclesia ipsa gubernatori prouido et fructuoso administratori gaudeat se commissam Tuque preter eterne retribucionis premium nostram et apostolice sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Rome apud sanctum, petrum, anno incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo nonagesimo tercio, Idus Januarii, Pontificatus nostri anno secundo.

Aufschultata et Collacionata est prefens Copia per me Arnoldum Bechel, Clericum havelbergenfis diocesis, publicum apostolica et Imperiali auctoritatibus Notarium et concordat cum suo originali de verbo ad verbum, de quo protestor per hanc scripturam manus mee proprie.

Nach einer alten Copie im Provinzial-Archive zu Magdeburg.